

quem, ut scribit auditor Platonis Ponticus Heraclides, vir doctus in primis, Phliuntem ferunt venisse, eumque cum Leonte, principe Phliasiorum, docte et copiose disseruisse quædam. Cujus ingenium et eloquentiam quum admiratus esset Leon, quæsisisse ex eo, qua maxime arte confideret. At illum, artem quidem se scire nullam, sed esse philosophum; admiratum Leontem novitatem nominis, quæsisse: Quinam essent philosophi, et quid inter eos et reliquos interesset? Pythagoram autem respondisse: similem sibi videri vitam hominum, et mercatum eum, qui haberetur maximo ludorum apparatu totius Græciæ celebritate. Nam ut illic alii corporibus exercitatis gloriam et nobilitatem coronæ peterent; alii emendi, aut vendendi quæstu et lucro ducerentur; esset autem quoddam genus eorum, idque vel maxime ingenuum, qui nec plausum, nec lucrum quærerent, sed visendi causa venirent, studioseque perspicerent, quid ageretur, et quomodo: ita nos quasi in mercatus quandam celebritatem ex urbe aliqua, sic in hanc vitam ex alia vita et natura profectos, alios gloriæ servire, alios pecuniæ: raros esse quosdam, qui ceteris omnibus pro nihilo habitis, rerum naturam studiose intuerentur; hos se appellare sapientiæ studiosos, id est enim philosophos. Et ut illic liberalissimum esset, spectare, nihil sibi acquirentem: sic in vita longe omnibus studiis contemplationem rerum cognitionemque præstare. Nec vero Pythagoras nominis solum inventor, sed rerum etiam ipsarum amplificator fuit. Qui quum post hunc Phliasium sermonem in Italiam venisset, exornavit eam Græciam, quæ magna dicta est, et privatim et publice, præstantissimis et institutis et artibus. Sed ab antiqua philosophia usque ad Socratem, qui Archelaum, Anaxagoræ discipulum, audierat, numeri motusque tractabantur, et unde omnia orientur, quoque reciderent: studioseque ab iis siderum magnitudines, intervalla, cursus anquirebantur, et cuncta cælestia. Socrates autem primus philosophiam evocavit de cælo, et in urbibus collocavit, et in domos etiam